

xit sua manu, ubi A. 1618. d. 9. Maji, Præside Paulo Stei-
nio, Concionatore Aulico, & Professore istius Collegii,
de Scriptura Sacra Disputationem publicam habuit.
Singularis etiam semestribus ex Academia Marpurgensi
accivit, qui non minus Principum Filiorum, quam Co-
mitum & Nobilium profectus instituto examine exqui-
rerent. Habeo hæc ex *Orat. Jo. Crocii, supra allegata, Mausolei Mauritanii Part. 2. p. 40.* unde etiam constat, Gui-
lielmum atque Philippum Basileam, indè Genevam mis-
sos, ut ab aulico strepitu remoti animum studiis tantò
magis intenderent. Crocius, *Orat. Funebr. sæpius alleg. in Mausoleo Mauri. P. 2. p. 39.* Præterea in Academia Mar-
purgensi, unà cum Fratre Mauritio, aliquamdiu studio-
rum gratia vixisse refert Hermannus Kirchnerus, *Orat. Funebr. habit. in memoriam dicti Mauriti modo laudati, fili-
ii secundo geniti, Marpurgi 1613.* unde non possum non
aliqua ejus memoratu digna huc transferre: *Recordami-
ni, inquit, Collega, mecum ejus mensæ, quam Illustrissimus
Princeps Pater in aula duobus dilectissimis filiis Mauritio &
Wilhelmo, cum studiorum gratia apud nos per triennium
fere commorarentur, haud alia ratione & apparatu disci-
bituque, quam olim Imperator Antoninus Philosophus suis
liberis ad spem imperii educatis instituerat, ut doctrina cla-
rissimi undecunque acciti viri cum iis assidue victum cape-
rent, Musarumque scitamentis cibum eorum quotidie quam
suavissimè condirent. Erat itaque cæna eorum instar do-
mestica Academia, cum absque Doctoribus & Professoribus,
qui de disciplinis & studiis quibuscunque dissertabant, nun-
quam accubare conspicerentur.* Tanta igitur in educando
Filio solertia cum fuerit adhibita, non potuit non Prin-
ceps